



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

90. An Generales, & alii Prælati Religionum possint confiteri confessoribus  
extra Religionem? Et quid de Generalibus, & Præpositis nostræ Religionis?  
Et an supradicti possint eligere in confessorium ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

penitentibus de familia à Confessariis deputatis tantum in Religione, ex consequentia c. 1. sess. 25. Concilij Tridentini. Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Refol. 95.

Affirmativè respondet Bordonus in consil. Regul. resol. 36. quest. 2. n. 63. Quia omnes persone de familia Religiosorum quoad Sacramenta subduntur Prælati Regularibus, Conc. Trid. c. 1. sess. 25. vi de famulis, & reliquis recentius resol. 4. quest. 16. §. Famuli; sed hospitalia Regularibus subiecta, & persone in eis degentes sunt de familia Religiosorum, hospitalia enim cum suis pertinentiis non solam iure antiquo, Clem. quia contingit, de relig. dom. §. Præmissa, & lem. 1. de privileg. §. fin. Religiosis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, ut famulantiis suis domesticis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus Sacramenta ministrare possint, nullum per dictam Clementinam præiudicium generari vult; sed etiam novo, sess. 25. cap. 8. hospitalia Regularium non eximuntur ab eorum iurisdictione, & de nostræ Religionis hospitalibus Nicol. V. Constit. Pastoralis officij, Dat. 20. Jul. 1447. statuit in hæc verba. Et hospitalibus singulos ministros idoneos deputandi, & eligendi, ipsique sic electi, & deputati absque alterius Apostolicæ, vel ordinariæ conlervationis adminiculo in spiritualibus, & temporalibus iuxta ipsius ordinis mores, & instituta Regularia reagentur. Item Nicol. IV. Cisterciensibus Sacerdotibus ab Abbate deputandis concessit facultatem audiendi confessiones, & alia Sacramenta administrandi infirmis inibi degentibus in eorum hospitalibus, provt refert Compend. Rodriguez resol. 74. numer. 4. Et pro Domin. in consil. Dudum siquidem. Bonif. IX. inserta in Constit. Ad Summi. Mart. V. Ergo iudicandi sunt secundum mores, & statuta Religionis: in Religione autem quorumcumque Regularium Sacramentum Pœnitentiæ administratur penitentibus de familia à Confessariis deputatis tantum intra religionem: ergo & infirmi ab his audiri possunt sacramentaliter. Quod autem degentes infirmi in hospitalibus sint de familia Religionis, constat ex c. 1. citato Clement. de privileg. iuncto cap. fin. de verb. signific. tales enim inibi vocantur, qui vivunt de expensis Religionis, & comedunt in domibus Religiosorum; ad hoc facit etiam glossa verb. quod verò, quest. 5. caus. 3. & quæ habet Graff. lib. 2. arbit. 36. num. 6. Tum quia si est aliqua difficultas, maximè ex Trident. illo c. 1. sess. 25. vbi disponitur nullum Religiosum posse confessiones secularium audire sine approbatione Episcopi, privilegij, aut quavis consuetudine etiam immemorabili non obstantibus; sed hæc nullius est momenti, quia Concilium nihil disponit in casu nostro, siquidem inibi sermo est de merè secularibus, ut infirmi degentes in hospitalibus Regularibus, qui quamdiu ibi detinentur, reputantur ac si essent Religiosi quo ad favorabilia, & cum Religiosis adhærent Religiosi censendi sunt, argument. l. qua Religiosis, ff. de rei vend. & Concilium bene, & necessario recipit hanc expositionem de iure, quia iura iuribus concordare expedit, cap. cum expediat, de elect. in 6. aliter cap. 15. vbi requiritur approbatio Episcopi, aduocaretur, cap. 11. sess. 25. citat. vbi dicitur quod persone de familia Religionis quoad Sacramenta eximuntur à iurisdictione Episcopi; ergo illud intelligendum est respectu secularium, qui non sunt de familia, ut vitetur correctio iurium, maximè in eodem Concilio, quæ quantum fieri potest vitanda est, cum sit odiosa, cap. cum dilectus, §. ceterum, de consuet. ad quam vitandam interdum verba impropriantur, vt dicit Anton. in dist. cap. num. 15. Imol. num. 12. Abbas in cap. cum olim, de sent. & re iud. Alex. Tom. VII.

xand. conf. 85. & ex eis Sanchez disput. 15. num. 19. lib. 10. ergo si verba possunt impropriari ad euitandam correctionem; ergo à fortiori restringi, cum restrictio non excedat eorum proprietatem, immo id fiat secundum leges, quæ odiosa mandant restringi. Et hæc omnia asserit Bordonus, ex cuius mente dicta esse volo. Nam, vt optime obleruat Gauantus in man. Episcop. verb. Confessarius, num. 23. & 264. & alij, Religiosi non approbati non possunt audire confessiones secularium, qui sunt de familia lato modo sumpta, sed ij, qui verè sunt de familia, & continui commensales; sed inter hos annumerandos esse infirmos in hospitalibus Regularium egrotantes nimis laxum videtur, ideo tu cogita. Sed post hæc scripta inueni Raphaelem Aueriam de Sacrament. Pœnitent. quest. 16. sect. 7. nominatim Bordoni sententiam refellere.

RESOL. XC.

An Generales, & alij Prælati Religionum possint confiteri confessionibus extra Religionem? Et quid de Generalibus & Præpositis Religionis nostræ? Et an supradicti possint eligere in Confessarium quemcumque Sacerdotem etiam ab Episcopo non approbatum intra, & extra Religionem? Et an privilegium, quod habent Præpositi eligendi quemcumque Confessarium, extendi possit etiam ad Vicarios nostros in Sede Vacante, vel alio modo absente Præposito? Et an si absentia Præpositi esset non solum à domo, sed etiam à Ciuitate, vel esset mortuus, vel ex alia causa dimisisset Officium, an in istis casibus Vicarius habeat iurisdictionem fori conscientie, & contentiosi? Et docetur, quod privilegium insertum in corpore iuris non comprehenditur in generali derogatione sub nomine privilegij his verbis, non obstantibus quibuscumque privilegijs. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 1.

Affirmatiuam sententiam docent communiter DD. ex cap. pro dilatione, de pen. & remissiv. vnde Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diff. 47. num. 4. si asserit. [ Tienen jurisdiccion ordinaria los Prelados de las Religiones, como son generales, y Prouinciales que tienen jurisdiccion quasi Episcopal, y los Guardianes, Abades, y Prioros que presiden a toda la comunidad, que ellos todos son ordinarios respectiue, y tienen facultad de elegir confessor, por la concession de Greg. IX. porque todos ellos se comprehenden de baxo de nombre de Prelado, y assi està en vfo en las religiones como dize Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. ] Sic Villalobos, & alij vbi infra. Sed difficultas est in nostra Religione, tiam in decretis Capitulorum generalium p. 1. c. 6. n. 1. sic habetur. Nemo nostram iua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed his tantummodo nostratibus Confessariis, qui à Præposito domus fuerint designati, nõ obstante quocumque privilegio, cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus, ac cedimus. Vnde sub his verbis Peregrin. in comm. ad nostras constit. const. 5. p. 1. c. 9. lit. C. §. 1. putat cõprehendi Generales, & Præpositos, & ideo ait ille, quod quando à Religione eliguntur ad dictas Prælaturas, subintelligitur pactum implicitum, quod est obseruandi, & curandi, vt obseruentur constitutiones, & decreta Capituli generalis vnde eo ipso quod acceptat Prælaturas, tacitè renunciantur dicto privilegio, quo gaudere non possunt nisi intra Religionem, nec decretum, hoc est contrarium canonij, quia privilegio suo cuique licet renunciare, l. si quis in conscribendis, C. de pactis, hæc Peregrinus.

Sup. hoc in Ref. seq. in principio, & in Ref. 1. post seq. §. Quoad & infra in §. Deinde, huius Ref. ad mediã vers. Cum ex dicto c. & Vide etiam Ref. & §. eius not.

Sup. hoc in Ref. 1. not. præterite à lin. 4. & in Ref. 2. §. Ex his, & recitaret in alio §. eius not.

Sup. hoc in Ref. seq. §. Ex his, à lra. 9. & in Ref. 1. post seq. §. cursum in fine, & infra Ref. 27. lege doctrina §. Accedit, & §. vlt. Et in tom. 2. tr. 5. Ref. 79. §. Verum, & in tom. 9. tr. 7. Ref. 118. §. vlt. paulo post initium, à vers. Sed quis, & ibi in tr. 8. Ref. 8. prop. finem, à vers. adde quod.

3. Sed contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto, primò, quia priuilegium insertum in corpore iuris, vt est illud, de quo loquimur, reputatur ius commune, vt patet ex textu in *leius militis*, §. *militia missus*, de *test. milit.* & notat Iafon in l. 1. num. 16. de *constit.* Henriquez *vbi infra* & Lotharius de *re beneficaria* tom. 1. lib. 2. *quest. 7. n. 26.* vnde in generali derogatione non comprehenditur sub nomine priuilegij; quia eo quod insertum est in corpore iuris, habetur pro iure, & lege, & ideo Villalobos in *summ.* tom. 1. *tract. 9. diff. 51. num. 3.* loquens de priuilegio Religiosorum in *Clem. dudum, de sepulturis*, sic asserit. [Anque el Concilio Tridentino en aquel decreto reuoca los priuilegios, mas no de los que estan insertos en el cuerpo del derecho, porque estos son leyes Ecclesiasticas y no se entiende de baxo desta palabra priuilegio que la ley que se instituye de nueuo no reuoca estos priuilegios aunque ponga qualesquieras clausulas generales, si no es que se haga delos expressa mencion.] Ita ille.

4. Idem etiam tenet Ioan. de la Cruz de *statu Relig.* lib. 2. *cap. 6. dub. 1.* vbi ita ait. Iuxta morem loquendi Iuristarum nomine priuilegij non intelligitur, quod est in corpore iuris insertum, & lex de nouo instituta non reuocat priuilegia in iure inserta, nisi de illis fiat expressa mentio, licet apponatur quilibet non obstantias generales, & reuocet priuilegia, quia priuilegia in iure inserta vendicant sibi aliud nobilius nomen, & sunt iam leges communes. Sic ille. Hoc etiam docet Miranda in *manuali Prælatorum*, tom. 1. *quest. 41. artic. 6. in concl.* Henriquez lib. 6. *cap. 6. num. 4.* Fagundez *precept. 2. lib. 7. cap. 2. n. 15.* & num. 78. & 82. Rodriguez in *quest. regular. tom. 1. quest. 5. art. 2.* Paulus Layman in *Theol. moral. lib. 1. tractat. 4. cap. 23. num. 26.* & lib. 4. *tractat. 6. cap. 1. num. 5.* & alij.

5. Hinc præter Layman *vt supra*, & alios citatos DD. notauit etiam glossa in *Auth. qua in provincia, C. de criminibus*, *vers. illico omni priuilegio*, & in l. 3. *C. de silent. lib. 12. cum Barbosa in l. 2. §. legatis. n. 117.* ff. de *iudiciis*, Borgos de Paz, in l. 3. *Taur. n. 59.* Decio *consil. 165. num. 4.* Iacobo Bennio de *privileg. Iuriscons. part. 3. priuileg. 100. num. 2.* Ruyno *vol. 1. consil. 228. num. 13.* Rebuffo *respons. 15. vers. seprimo etiam*, & *respons. 134. vers. item mandatur*, Mandozio de *privileg. ad instar, glossa 14. num. 2.* Gomez in *cap. 1. num. 93. de constitut. in 6.* Felino in *cap. 1. numer. 12.* & in *cap. nonnulli. n. 9.* & 26. de *re scriptis*, & alijs, quod ista clausula, non obstant quocumque priuilegio, non comprehendit priuilegium in corpore iuris insertum.

6. His igitur omnibus suppositis, sic argumentor contra Peregrinum. Priuilegium quod habent nostri Præpositi locales, est insertum in corpore iuris, sed priuilegia inserta in corpore iuris non derogantur, neque comprehenduntur, vt probatum est in clausulis generalibus, non obstant, &c. etiam alicuius Concilij Generalis, nisi de illis efficiatur expressa mentio, ergo à fortiori dictum priuilegium nostrorum Præpositorum non erit comprehensum in illa clausula Decreti, quod Peregrinus adducit, cum sit priuilegium, vt dictum est, in corpore iuris insertum. Dicendum itaque est illud decretum factum fuisse in Capitulo generali pro gaudentibus priuilegio Bullæ Cruciatæ, vel alijs licentijs, & indulgentijs consentiendi quocumque etiam extero Sacerdoti infcio Superiore, non autem pro Generalibus, & Præpositis habentibus hoc priuilegium clausum in corpore iuris; cum igitur tale decretum loquatur tantum de priuilegijs, non est extendendum ad iura Prælatorum quorum mentionem non facit; nam si hoc pri-

uilegium comprehendere voluisset, de illo expressam mentionem facere debuisset, & ideo quando in aliqua Religione Capitulum generale voluit restringere, aut limitare, ne Prælati vtantur supradicto priuilegio, specificè illis hoc prohibuit, & ita factum esse in Religione Cisterciensi, notauit Hieronymus Llamas in *meth. part. 1. c. 5. §. 5.*

7. Deinde supponitur in illo Capitulo Patres renunciaffe huic priuilegio, quod ego nego, & negant omnes, qui in illo Capitulo adfuerunt, nam tunc nihil de hac renunciatione talis priuilegij inter illos actum fuit, & tamen renunciatio priuilegij supponit necessitatè renunciantis consensum, vel voluntatem, vt notat Suarez de *legibus lib. 8. cap. 33. num. 8.* & alij communiter, nam consensus, & voluntas non fertur in rem non cognitam; ergo dicto priuilegio in dicto Decreto renunciatum fuisse minimè dicendum est. Concedimus igitur Peregrino Superiores, quando eliguntur ad prælaturas subre onus obseruandi, & curandi vt obseruentur constitutiones, & decreta nostræ Religionis, sed negamus, quòd renunciant tunc tacite huic priuilegio, de quo dictum est; nam nequam ipsi huic renunciant, neque ex vi verborum decreti in illo comprehensi sunt, ideoque neque illud obseruare tenentur, cum ex dicto cap. finali possint sibi eligere in Conuentum quemcumque Sacerdotem, etiam ab Episcopo non approbatum intra, & extra Religionem. Et ita præter Villalobos *vbi supra* docet Miranda in *manuali Prælatorum tom. 2. quest. 20. art. 7.* & *q. 32. art. 6. concl. 1.* Syluius in *addit. ad 3. part. D. Thom. quest. 8. art. 5. Quaritur 2. conclus. 2.* Ioan. Valerius in *diff. vtriusque fori. vers. tunc dictio dict. 14. num. 2.* Barbosa in *colleth. tom. 2. lib. 5. tit. 38. cap. 16. num. 2.* Fillucius *tom. 1. tract. 7. cap. 9. num. 231.* Suar. *tom. 4. in 3. part. disp. 27. sect. 2. num. 9.* & 10. Coninch. de *Sacramentis disp. 8. dub. 8. num. 60.* Nugnus in *3. part. tom. 2. quest. 3. artic. 5. dub. 2.* afferentes Prælatos Regularium posse eligere Conuentum etiam extra Religionem, dummodo ab eorum constitutionibus, & statutis hoc illis facere non prohibeatur, quod in nostris non prohibetur, nam in hoc tantum negatiuè se habent, vt patet.

8. Non desistam adnotare etiam hic quod nocet P. Alphonsus de Leone, vir quidem doctus in *tract. de officio, & potest. confess. tom. 2. recoll. 1. n. 95.* & 106. docet Capitulum generale, nisi fuerit à Papa confirmatum, non posse derogare huic priuilegio Superiorum, quod habent à iure eligendi Conuentum extra ordinem, lege illum, & non pigebit; vnde apparet, quam parum solidè opinio Peregrini defendi potest. Vide etiam Hieronymum Rodriguez in *compend. quest. Regul. resolut. 10. num. 17.* vbi ait, quòd confirmatio statutorum alicuius Capituli generalis facta à Papa intelligitur, quatenus ipsa non sunt contraria iuri communi, & sacris canonibus, sed de his opinionibus Leonis, & Rodriguez alibi à nobis fuisus dicitur.

9. Notandum est tamen aliquos DD. dictum priuilegium de eligendo Conuentum extra Religionem concedere tantum Generalibus, & non inferioribus Prælati, vt Guardianis, Præpositis, &c. & ita tenet Reginaldus *tom. 1. lib. 1. cap. 4. sect. 2. num. 76.* Llamas in *meth. part. 1. cap. 5. §. 5.* & alij, melius quæsiuisset Peregrinus si cum istis DD. tenuisset; sed ille tenet cum communi DD. sententia, & postea putat, vt visum est, huic priuilegio nostros Præpositos renunciaffe, quod minimè, *vt supra* probaui, admittendum esse censeo.

10. Non gravabor etiam his omnibus addere, quòd probabiliter secundum Megalam in *1. part. lib. 1. cap. 10. num. 4.* & Coriolanum de *cas. reseru. part. 1. §. 1.*

sect. 1. art. 24. supradictum privilegium, quod habent Præpositi eligendi quicumque confessorium, extendi potest etiam ad Vicarios nostros in Sede Vacante, vel alio modo absente Præposito, & ita in terminis hanc sententiam post hæc scripta docet P. Leone de officio confess. tom. 2. recollect. 6. num. 36. licet etiam probabiliter contrariam asserat Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 27. sect. 2. n. 8. & ratio est, quia actio subrogata habet privilegium eius, cui subrogatur; & in nostris constitutionibus part. 3. cap. 9. dicitur quod Vicarius absente Præposito huius vicem gerit, quæ verba explanans in commentariis suis littera F. Peregrinus sic asserit. Si absentia Præpositi esset non solum à domo, sed etiam à civitate, vel esset mortuus, vel ex alia causa dimississet officium, in istis casibus Vicarius haberet iurisdictionem fori conscientie, & contentiosi, quia esset quasi Ordinarius vices Præpositi in omnibus gerens, & sic declaraverunt P.P. Dominicani in suis constitutionibus in Capitulo generali Parisiis celebrato anno 1246. Ita Peregrinus. Cuius verba non parum probabilem nostram, & Megale sententiam efficiunt, nam vt dictum est, & patet ex l. si cum, § qui iniuriarum, ff. si quis cautioni, & ex cap. Ecclesia, vt lite pen. subrogatus in locum alterius, in eius quoque iura, & privilegia subrogatus esse censetur, quod etiam notavit Tamburinus de iure Abbat. tom. 1. disp. 1. §. quest. 1. n. 10. Verùm pro coronide huius resolutionis adverte cum Molfesio in summa tom. 1. tract. 7. cap. 15. num. 44. quod licet omnia supradicta contra Peregrinum sint vera, tamen non conuenit, vt Prælatis Regulares confiteantur extra Religionem, licet, vt dictum est, de rigore possint.

RESOL. XCI.

An Generales, & Prælatis Regularium possint confiteri extero Sacerdoti? Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Refol. 1.

§. 1. Respondeo affirmatiue stando in iure communi, vt bene aduertit Guillelmus Mercerus in addit. ad 3. part. D. Thom. quest. 8. art. 5. dub. 1. num. 2. Sed quoad Generales & Prælatos nostræ Religionis negat Peregrinus etiam nouissime in addit. ad comment. constitui part. 3. quest. 1. stante decreto edito in Capitulo generali, vbi sic habetur. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed iis tantummodo nostratibus Confessoribus, qui à Præposito domus fuerint designati, non obstante quocumque privilegio, cui ex nunc totius nomine Religionis renunciamus, ac cedimus. Cum igitur in dicto decreto sit apposta dictio illa, nemo, quæ est vniuersalis negatiua, etiam in illo inclusos Generalem & Præpositos esse dicendum est.

2. Sed ego hanc sententiam in part. 3. tract. 2. res. sol. 1. improbari, & nunc iterum improbo. Dico igitur decretum supradictum loqui tantum de subditis quod patet, nam ibi sic dicitur. Nemo nostrum sua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, sed iis tantummodo nostratibus Confessoribus, qui à Præposito domus fuerint designati, ergo aperte patet quod loquitur de subditis, nam subditi tenentur confiteri cum Confessoribus designatis: & Superiores non obstantes hoc decreto hodie in nostra Religione non sunt adstricti confessiones facere cum Confessoribus ab ipsis pro domo assignatis, qui quidem si essent inclusi in dicto decreto, vt vult Peregrinus, necessario ex ipsius verbis cum dictis Confessoribus confi-

teri deberent; sed hoc dicere est absurdum, vt patet ex ipsa praxi: ergo dicendum est, vt ex verbis ipsius decreti apparet, in illo tantum subditos comprehensos fuisse.

3. Nec valet dicere cum Peregrino, quod ratio, quæ mouet Capitulum generale ad id statuendum pro subditis, multo magis procedit in Prælatis; ergo voluit omnes comprehendere, etiam Prælatos: nam primò respondeo contrariam apparere, vt visum est in verbis decreti, & hoc ad sedandam quæstionem sufficeret. Secundò respondeo negando in hoc casu eandem rationem procedere cum subditis, quæ cum Prælatis, nam Prælatis tanquam Aaron eliguntur inter tantos vt digniores, & in Sicilia tantum quinque sunt, qui ex privilegio cap. ne pro dilatione, de pan. & remiss. possunt cum extraneis confiteri, subditi verò qui poterant sumere, v.g. Bullam Cruciatæ, pro qua certum est fuisse factum dictum decretum in magno numero, vnde inconueniens; quod in istis in damnum Religionis poterat sequi ex vltu Bullæ Cruciatæ, non erat timendum in Prælatis ex vltu privilegij dicti ex ne pro dilatione, ex supradictis rationibus; ergo est dispar ratio inter vtrosque.

4. Non est igitur verum dicere, quod eadem ratio quæ militabat quoad subditos circa electionem Confessorij extra Religionem virtute alicuius privilegij, militabat etiam quoad Prælatos, & ideo rectè in supradicto decreto subditi, & non superiores, comprehensi sunt, vt supra ex ipsius decreti verbis probatum est. Vnde patet responsio ad argumentum Peregrini fundatum in particula, nemo: nam respondeo esse quidem vniuersalem negatiuam, sed circa illos, de quibus loquitur decretum, videlicet subditos; non comprehendi autem Superiores, cum isti in dicto decreto comprehensi non sint, & idem respondendum est quoad dictionem quocumque privilegio.

5. Ex his etiam patet non indigere responsionibus alia, quæ adducit nouissime aduersus me Peregrinus; nam cum ex verbis decreti, vt visum est, Prælatis in eo non comprehendantur, corrumpunt omnia quæ ipse dicit; sed dato, & non concesso, quod Prælatis in dicto decreto comprehendantur, quod mordicus nego, dico adhuc Prælatos posse vigore dicti cap. ne pro dilatione, confiteri extra Religionem: nam licet renuntiauerint in dicto Decreto quibuscumque privilegijs sub nomine privilegij, vt obseruant communiter Doctores, quos ad fatietatem adduxi in 3. part. tractat. 2. res. 1. non includitur quod in corpore iuris insertum est, & hoc non solum in clausulis derogatorijs, sed etiam contra Peregrinum in renunciationibus: quia renunciatio est stricti iuris, & semper eam recipit interpretationem, vt nocet renuncianti quantum minus potest; vt docet Gratianus volum. 1. respons. 66. num. 18. Parisius vol. 1. cons. 7. num. 75. Crauetta consil. 200. num. 10. & alij, quos citat & sequitur Riccius part. 4. decis. 59. num. 6. & 7. quibus ego addo Nouarium de elect. fori, sect. 1. quest. 3. num. 5. loquentem in terminis casus nostri de renunciatione privilegij, ergo in casu nostro licet decretum asserat renunciatum fuisse cuiuscumque privilegio, dicendum est in illo non includi privilegium de quo loquimur, cum sub nomine privilegij non veniat, tanquam in corpore iuris insertum, confirmantur hæc omnia ex doctrina Parisij de resignatione benefice. tom. 2. lib. 8. quest. 2. num. 16. vbi ex Bruno docet, quod renunciatio non censetur renunciare iuri communi; sed privilegium insertum in corpore iuris, vt inter alios docet Lotharius de re beneficiaria, tom. 1. lib. 2. quest. 7. num. 26. ex l. eius militis, §. militia missus, de restam. milit. reputatur ius commune: ergo in renunciatione privilegiorum istius decreti non includitur

Quæ hic est Ref. antecedens, & in alijs not. seq.

Sup. hæc in Ref. præterita § Sed contraria, à lin. 2. & in alijs eius annot.